



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd post Constantini magni obitum, Eusebius & Theognis denuè fidē
Nicænā vellicare ceperunt. Capvt I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

HERMIAE SO-
ZOMENI SALAMINII HI-
STORIAE ECCLESIASTI-
CAE LIBER TERTIVS.

*Quòd post Constantini magni obitum, Eusebius &
Theognis denuò fidē Nicenā vellicare ceperunt.*

CAPVT I.



ES, regnante Constantino, in ecclesia geste, ad hunc modum se habuere. Quo quidem mortuo, doctrina fidei à concilio Niceno stabilita in cōtrouersiam denuò vocatur. Nam hanc licet non omnes approbassent, tamē dū vixit Cōstantinus, nemo eā apertè reiiicere ausus est. At vt primū excessit è vita, cōplures, qui etiam antea de hac fide prodenda in suspicionem venerant, ab ea penitus descuerunt. Omnium autem maxime Eusebius & Theognis episcopi Bithyniæ summopere laborarūt, vt Arii regnaret opinio. Quam rem facile perfectū iri arbitrati sunt, si modò Athanasium reditu ab exilio intercluderent, alterumque suæ opinionis fautorem ecclesiis Aegypti episcopū præficerent. Atq; ista animo instituebant, administrum sui conatus adepti presbyterum illum, qui temporibus Constantini author fuerat Arii ab exilio reuocandi. Nam erat quoque Constantio impertori percharus, propterea quòd ei patris testamentū saluum tradiderat: quinetiam autoritatem ob suam in rebus gerendis fidelitatem nactus, in familiaritatem tum imperatricis, tum eunuchorū, qui imperatoris cubicularii erant, quique multum apud eum gratia valebant, sese immerfit. Eodem tempore Eusebius imperatoris familię præfuit: qui cum esset opinionis Arianæ approbator, non imperatricem solum, sed etiam aulicos permultos ad suā perduxit sententiam. Hinc rursus crebræ de fide disceptationes

nes priuatim & publicè susceptæ: simulque contumeliæ & simultates ortæ: deniq; res Theognidi & suis processit ex sententia.

De magni Athanasii ex Gallis reuersione, & Constantini Caesaris Constantini magni filii epistola, & tensis rursus ab Arianis contra Athanasium insidiis, & Acacio Birrhæensi episcopo, ac bello inter Constantem & Constantinum suscepto.

CAPVT II.

DVm hæc geruntur, Athanasius ex Gallia ad solé occidentem vergente Alexandriam reuertitur. Quem Constantinus, dum adhuc maneret in vita, reuocari in patriam iusserat. Fertur etiâ eum hoc idē in testamento suo præcepisse. At verò quoniam mors illum antè occupauerat, quàm res perfecta sit, idcirco filius eius Cōstantinus, qui Gallis versus solis occasum præfuit, fecit Athanasio potestatem Alexandriâ reuertendi, literasq; eius causa ad populum Alexandrinū dedit. Quas literas hoc loco ponere statui, quæ sunt scriptæ his verbis.

Constantinus Caesar populo ecclesiæ catholice Alexandrine. S.

Vestre prudentiæ minime obscurū arbitror, quid cause fuerit, cur sacrosanctæ legis & doctrinæ euāgelicæ interpretres Athanasius à patre meo in Galliâ ad tempus relegatus sit: ne scilicet per nefariam improborū quorundâ peruersitatē (nā agrestis infestorū & crudeliū hostiū immanitas eius capiti periculū intenderat) vulnera planè insani- bilia sustinere coactus fuisset. Quocirca vt hęc neq; hominum malitiâ effugeret, ex illorū quasi faucibus, qui ei struebant insidias, ereptus est, iussusq; , vt sub mea ditione vitâ degat, quò nō aliter, ac si in ea ciuitate versaretur, in qua antehac vixerit, omnibus rebus ad vitâ necessariis (licet eius eximia virt⁹ diuina ope freta, graues asperioris fortunę erūnas pro nihilo putet) abūdare circūfluereq; possit, Quāobrem cū pater meus Cōstantinus August. dignus sanè ob res præclare gestas, qui sempiternæ memoriæ commendetur, haberet